

PERICULUM ACADEMICUM  
De

OHPIOMAXIA  
PAULI,

Ex I. Cor. XV. v. 32,

*Permissu benevolo in Regia Fennorum A.  
cademia Amplissimi Ordinis Philos.*

Sub Moderamine

ANDREÆ P. M. S.  
Poët. Profesi, Reg. & Ordin.

*Loco horisque Solennibus,*

Die, si Deo ita visum fuerit, 5. Non.  
Martii Anni currentis  
MDCCXXXVI,

*Ea, qua par est, modestia, facere  
constituit*

ANDREAS H. LILIUS

*Satacunda Finlandus.*

---

ABOÆ, Exc. Joh. Kiämpe, R. Ac. Typ.

*Ernestus*

**Dn. ANDREA  
BERGI**

**S.S. Theologiæ DOCTOR & PRO-  
FESSOR Primarie, Præcellentissime,  
RECTOR Academiae h. t. Magnifice,  
Diœceleos Aboensis ARCHIPRÆPO-  
SITE Celebratissime, ADSESSOR  
utriusque Consistorii Gravissime  
MÆGENATES**

**P***arcite quod tenuis, titulis  
Hæc mea  
Ingenii Vobis subest  
Sustineam  
Mentem devotam dantis,  
Respicitote,  
Adspiret cymba velis  
Aura secundo  
Corde calente Deum, viva-  
Tempora lon-  
MAGNORUM NOMI-*

*Humillimus  
And: H.*

*rendi atque Celeberrimi*

**Dn. JOHANNES  
HAARTMAN**

**S.S. Theologiæ PROFESSOR Am-  
plissime, ADSESSOR tam Ecclesia-  
stici quam Academici Senatus Gra-  
vissime, Ecclesiarum, quæ Deo in  
Diva Maria Colliguntur ANTISTES  
longe vigilantissime  
MAGNI.**

*splendescere Vestris,*

*charta velit;*

*vilissima dona*

*que dare,*

*non munus inane,*

*precor:*

*Vestrique favoris*

*da mea.*

*tis ut omine leto,*

*ga! rogo*

**NUM VESTRORUM.**

*cultor*

**Lilius**

*Nobilissimo atque Strenuissimo Viro,*  
Dn. JOHANNI WANOCH,  
In re tormentaria procuranda Sub-  
centurioni, literarum & armorum pe-  
ritia perinde incluto, Avunculo ut ex-  
optatissimo, ita venerabunda mente  
ætatem suspiciendo.

*Plurimum Reverendi & Præclarissimo Viro,*  
Mag. JOHANNI WANÆO,  
Pastori in Drivesi dexterrimo, Euer-  
getæ ut propensissimo, ita semper  
multum venerando.

*Perquam Reverendo & Eruditissimo Viro,*  
Dn. CAROLO INDRENIO,  
Sacellano Birckalensium pervigili,  
Præceptori antehac fidissimo, jam af-  
fini æstumatissimo.

**I**mmaturas hæc rudis ingenii primi-  
cumentum

AND. H.

*Plurimum Reverendo & Praclarissimo Viro,*  
Mag. HENRICO JUSTANDRO,  
Pastori Lempensium diu meritissi-  
mo, Euergetæ omni observantia pro-  
sequendo.

*Plurimum Reverendo & Praclarissimo Viro,*  
Mag. HENRICO LILIO,  
Pastori in Måseby dignissimo, Paren-  
ti, ut quam indulgentissimo, ita  
summa reverentia, ad cineres usque  
afficiendo.

*Perquam Reverendo atque Doctissimo Viro,*  
Dn. ANDREÆ G. LILIO,  
Comministro in Måseby laudabili,  
Patruo reverenter habendo.

*eias, in reverentia & gratitudinis do-  
inscribit.*

LILIUS.


Platinum Reverende O. Sacerdotum  
Mox HENRICO JUSTANDRO  
Pastor Lempheldum die mensis  
in Augustus anni obitantis pro  
legendo.

Platinum Reverende O. Sacerdotum  
Mox HENRICO JULIO  
Pastor in Lempheldum dignissimo Patre  
in usum quam adhibendum, in  
summa reverentia, ad citius usque  
suscipiendo.

Platinum Reverende O. Sacerdotum  
Mox ANTONIO JULIO  
Communitate in Lempheldum laudabilis  
Patrio reverentia suscipiendo.

Platinum Reverende O. Sacerdotum  
in Augustus.

LILIU.



*In Nomine Jesu!*

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

**Q**uam infesta Satanae  
semper fuerit homi-  
num salus, si non  
aliunde, ex immani certe  
crudelitate, quae primos No-  
vi Foederis Christianos exer-  
cuit, abunde patere potest.  
De impugnanda generis hu-  
mani in libertatem restitutio-  
ne, jam diu, sed frustra, lae-  
boravit. Successu caruit co-

A

natus

natus de tollendo mundi Sospitatore, in nefarie per Herodem patrato infanticidio: spes ei irrita de superando eo, quem inter deserti labores victorem experiri coactus est. Bella ergo imminere sibi non nisi cum ultima sui clade finienda; adesse qui caput suum erat contriturus: pugnatuos secum quotquot ad victoris vexillum se recepissent; denique futurum, ut illis succumberet, quos vellet esse quam miserrimos. Odium igitur ex lætissimis horum rebus auctum in iram, & hanc mox in furorem vertit. Ne expectata hætenus jamque exorta mundo salus plurimis bono, sibi  
vero,



vero, &, quam sibi obsequen-  
 tem fecerat, parti tantum a-  
 licui, cum immensis bara-  
 thri miseris conflictandum es-  
 set, addictos superstitioso ido-  
 lorum cultui gentiles, diro  
 in Evangelii præcones, hos-  
 que qui Christi fidem amplecte-  
 bantur, odio armavit, eo-  
 que furoris adegit, ut nul-  
 lum acerbitatis virus contine-  
 rent, quod non in eos ef-  
 funderent. Scæviturum ergo est  
 non insectationibus tantum,  
 sed etiam exquisitissimis cru-  
 ciatibus, hosque inter isto  
 supplicii genere, quo a Cæ-  
 saribus Ethnicis, ferocissimis  
 bestiis dilaniandi devorandiq;  
 objiciebantur. Quod cum

4  
horrendum nimis & atrox habendum sit, quippe quo per eundem erat quibus irrogabatur eo certius, quo per ipsam rei immanitatem, nihil ad inferendam necem intelligere est violentius, mirum fuerit, quod me nimis sollicitum tenuisse confiteor, quo pacto gentium Apostolus dicat *se Ephesi cum feris pugnasse*. Quam rem proinde, pro virium tenuitate, discutiendam sumsi, non, ut pro certo venditari velim, quod mihi in ea videatur posse constitui, sed ut doctiorum, in quo subsistendum sit, rogarem sententiam.

## §. I.

**P**rimo omnium, cum ex  
 nominis interpretatione,  
 ipsius etiam rei ratio quando  
 que fieri soleat notior, præ-  
 mittere non erit alienum vo-  
 cis, quam habet ἐπιγραφή, bre-  
 vem enucleationem. Et pa-  
 tet statim ex vocabulo ἡ θνητός,  
 quod *feram* notat sive *besti-*  
*am*, specialiter *serpentem*, &  
 ex ἡ μίχεται, quod est *conten-*  
*dere*, *rixari*, *altercari*, θνητομα-  
 χίας notionem coaluisse; ut a-  
 deo hæc pugnam cum feris  
 exprimat, quæ vel feris est  
 cum feris, vel quæ homini-  
 bus cum feris aliqua ratione  
 intercedit. Quemadmodum  
 autem voce θνητός *improprie* et-  
 iam

iam venire *hominem* constat, qui figura quidem, vitiis vero nullis, imprimis fraudibus & vorandi cupidine a feris differt, qua feritate immanem Epimenides Cretensium gentem notavit, in illo etiam ab Apostolo\* adducto:

Κη̄τες ἀ̄ν̄ ψ̄ᾱδαι, κατὰ θ̄νη̄σια, γασ̄τρ̄ες ἀ̄ργαί; ita vivevit quoque *θ̄νη̄σιας* vocabulum *improprio* sensu pro conflictu cum hominibus perversis adhiberi; quam nos acceptionem hic præcipue attendimus. \* Tit. I. 12.

§. II.

**I**stis breviter, ut nostri fert ratio instituti, prælibatis, proximum erit de Romanorum *θ̄νη̄σιας*, ut aliquid inde

de lucis arcessatur tractationi nostræ, pauca subnectere. Constat inter ludos publicos, quorum fere nullos palam est nec sine Deorum titulo, nec nisi gratiæ populi demerendæ causa factos esse, introductam quoque apud Romanos fuisse pugnam cum bestiis. Ejus quasi pro ludium dedisse Junium Brutum apud Rosinum \* notatum legimus, cum in defuncti patris honorem primum gladiatores, mox fontes in arena feris objiciendos præbuerit; quasi parum simplici atrocitate parentatum esset mortuo, nisi officii diritatem alio quoque homicidii genere augetet. Ex illo tempore, postquam

quam impietatem etiam in-  
 umbravit voluptas, apparet  
 sanguinem humanum ad re-  
 creandos animos adhibitum,  
 celebrandæ cum feris pugnae  
 fecisse locum, quam sub Im-  
 peratoribus Ethnicis etiam ad  
 coërcendos hoc supplicii ge-  
 nere Christianos frequentatam  
 invaluisse credibile est; usu ta-  
 men gladiatorum usque ad  
 Theodoricum Gothorum Re-  
 gem permanente, sub quo e-  
 um sublatum esse univèrsum,  
 idem in idem putat *Rosinus*.  
 Qui in novo hoc ludo feris  
 opponebantur, *ἰνερωαῖοι* Græ-  
 cis, Latinis *bestiarios* vocatos  
 invenimus, eosque tamen non  
 unius fuisse generis. Alios ul-  
 tro

tro in arenam descendisse, pugnandi arte confisos, qua bel-luas facili negotio superaturos se sperabant, & hinc non minorem a spectantibus fortitudinis laudem, quam a munerariis ( ut vocabantur qui illos ad pugnandum conducebant) mercedem reportaturos; dictos proinde *παράβολος* sive *parabolanos*, quod spe aucto-ramenti, sanguinem insanæ populi voluptati venalem haberent, ideoque *infames* habitos. Ab his ergo longe diver-sos fuisse, qui ob admitta flagitia, Judicis sententia, ad be-stias damnabantur, ut cum eis *armati* decertarent, qui-bus proinde licitum, ut se de-fen-

fenderent quidem, nihilominus, si bestiam unam aut alteram confecissent, tenebantur tamen cum aliis, ad integrandam pugnam immixtis, confingere, usque dum misere prostrati spiritum emitterent. Et horum quidem utrumque genus, & armis obviam ivisse feris, & vere cum iis pugnasse. Sed tertium adhuc genus tradunt scriptores in ludum *bestiariorum* inductum fuisse, eorum nempe, qui aut ex hostibus infestissimis capiebantur, aut ex servitio aufugerant, aut in parricidio aliove crimine deprehensi fuerant, & hi quidem omnes *inermes*, ut projecti statim dilaniarentur, plerum-



rumque vel palis alligati, vel insuti pellibus, interdum etiam plures innexi, ut belluæ ad iras incitarentur.

\* *Antiqq. Roman. Lib. 5. Cap. 24.*

§. III.

**A**pparet igitur concludendum esse ex tribus eorum generibus, qui sui in amphitheatris spectacula adversus feras præbebant, priora duo genera *θνητομαίχως* constituisse, nec eo nomine (nisi quod abusive ita quandoque cœperint dici) insigniri eos posse, qui tertii generis erant; his enim, ut se defenderent, ne permisum quidem fuit, cum dati *ἔτε* *βοεῶν* non *ἔτε* *μάχων* inulti cogeren-

rentur mortem pati. Nec est  
quod contendat quis pro pu-  
gnantibus etiam haberi eos  
posse qui ita bestiis objicieban-  
tur, quod, quantum in ipsis  
fuit, eis tamen restiterint;  
quatenus autem id nullo vero  
actu externo factum fuisse in-  
telligitur, non magis pugnas-  
se dicendi videntur illi, quam  
is, qui invitus fortioris impetum  
excipere cogitur. Equidem in-  
venias projectos ad bestias &  
apud Eusebium \* appellari a-  
thletas, & quos in Palæstina &  
Phœnicia Tyri firmo interrito-  
que animo bestiarum impetus  
excipere ipse viderat, mani-  
bus bestias in se pellexisse;  
quod cum illis ad functionem  
pugna

pugnatorum satis videri possit,  
 negari nequeat, quin & hi  
 pro *θηρομαχούς* haberi debeant.  
 Interim cum nulla re idonea  
 ad committendam pugnam in-  
 structi in arenam descenderint,  
 ad profundendam vitam, cum  
 imposita pereundi necessitate,  
 immissi, ad neutrum quidem  
 genus eorum, qui cum feris  
 armati pugnant, referendi  
 sunt, athletarum tamen hono-  
 re decorandi, ob stupendam  
 visu tolerantiam in ferendis  
 minis bestiarum, quas irruisse  
 quidem in eos refert, sed ve-  
 lut divina virtute repullas,  
 quanquam trucibus minis &  
 ferro etiam ignito irritaren-  
 tur, in alios extrinsecus acce-  
 deno

dentes potius, quam in illos  
vim diu intulisse, gladio tan-  
dem necatos, qui morsibus fe-  
rarum interire non poterant.

\* *Histor. Ecclesiast. Lib. 8.*  
*Cap. 7.*

§. IV.

**C**eterum ut exhibitum hoc  
in ludo bestiariorum specta-  
culum funestum admodum e-  
rat, adeo etiam ut matronæ,  
publico edicto, ab ejus hor-  
rore summotæ fuerint\*; ita  
ejus voluptate mirifice afficie-  
batur ubique populus, qua  
patuit imperium Romanum,  
universus. Moderabantur e-  
um Præfecti, qui in provinci-  
as missi fuerant ad curandos  
ludos, in Deorum honorem.

&

& ob natales principum cele-  
 brandos, a sua, cui prae-  
 rant, ἐπαρχία singuli dicti,  
 quorum fuit eos, qui ad bel-  
 luas damnati erant asservare,  
 & in concionem confluentis  
 ex tota provincia populi, cum  
 praestituti ludo dies adessent,  
 producere. Hos quidem in  
 mense Decembri positos histo-  
 rici tradunt; certe non nisi  
 statis diebus praesentata fuisse  
 haec spectacula ex Philippi, A-  
 siarchæ Smyrnæi ad populum  
 responso \* \* cognoscimus;  
 cum enim hic eum rogaret,  
 ut Polycarpo leonem immitte-  
 ret, μὴ εἶναι respondit ἐξὸν αὐ-  
 τῷ, ἐπειδὴ πεπληρώκει τὰ κυνηγέσια;  
 quin tamen Romæ summi Imp-  
 pe-

perantes etiam aliis temporibus, quoties eos sanguinum agitata libido, cruenta hæc spectacula postularent, dubium non est. At tempus diei iis edendis sumtum matutinum erat: hinc Tiberius, bestiariis nimis delectatus, prima luce, ad eos spectandos, descendit; inde enim gladiatores producebantur, quos excipiebant venationes, & has demum jucundiora spectacula, ut populus a sanguine recreatus latior discederet. \*\*\*

\* *Rosin. Antiqq. Roman. Lib. 5. Cap. 24. pag. 489.*  
 \*\* *Euseb. Hist. Ecclesiast. Lib. 4. Cap. 15. pag. 49.* \*\*\* *Sueton. vit. Tiber. Cl. Cap. 34.*

**J**AM quovis tempore, non  
 statis tantum diebus raptos  
 ad hæc supplicia fuisse Christi-  
 anos, ex incredibili eorum  
 numero, qui furentis paga-  
 nismi persecutionem hoc mar-  
 tyrio obfignarunt, colligitur.  
 Quoties enim, ut ex Tertu-  
 liano \* discimus, publica a-  
 liqua calamitas ingrueret, vim-  
 que inferret aut inundans Ti-  
 beris, aut sæviret coeli tem-  
 pestas, aut lues ingravesceret,  
 continuo vulgi, quasi ad ex-  
 piandum sanguine malum de-  
 poscentis, perniciofa vox in-  
 tonuit: *Christiani ad leones.*  
 Irrogabant certe leges hujus-  
 modi pœnam vilioribus per-  
 sonis,

sonis, imprimis probroso hoc supplicii genere liberari, vi legis *Porcia*, debuissent cives Romani; quo tamen minus legibus jam sua auctoritas staret, effecerunt & plebis furiosæ tumultus, & contra quas innocentiae leve præsidium est, vis & libido. Hæ ipsæ Caligulam, teste Svetonio \*\*, impulerunt, ut multos honesti ordinis ad bestias condemnaret, equitemque Romanum objectum feris, cum se innocentem proclamaret, reduceret, abscissaque lingua, rursus induceret. Christiani autem quod ita multarentur, eo minus est mirum, quo deteriori cæteris, ut notat Baronius \*\*\*,

ha-



habebantur conditione, sublato, inter eos & infimæ sortis homines, discrimine omnino; unde qua in cæteros, eadem & in *Ignatium*, Antiochiæ Episcopum, conclamatum fuit contumelia, cum in persecutione Trajani, damnatus ad bestias, Romam missus, præsentem Trajanum, circumsedente senatu, immanissimis pœnarum suppliciis primo affectus, leonibus dehinc objectus fuit.

\* *In Apologet. Cap. XL.*

\*\* *Vit. Calig. Cap. XXVII. \*\*\**

*Ad Martyrolog. Roman. pag. 59.*

§. VI.

**I**Ta insanam populi voluptatem

B 2

tem

tem redimere nece sua debebant insontes cum noxiis, Christiani cum vilissimis paganis. An autem, ut eo accedamus, quo hæc spectant, quæ præmissimus, etiam *Paulus* in theatrum contra feras invecus sit, cum se *Σνεριουμαχιῶντι ἐν Εφῆσαι* dicit, nunc, ut instituimus videndum est. Affirmativam certe tueri svaderet tumultus apud Ephesios, gentem cultui Dianæ devotam, a Demetrio contra Paulum ejusque socios concitatus, de quo in Actis Apostolicis \* per scriptū legimus. Quanquam enim ipse cum Cajo & Aristarcho, comitibus suis, in theatrum, quo bestiis consumendi misere ab-

stra

frahebantur, jam abreptis, deprehensus non esset, nedum actu feris obiectus, tamen cum ab efferata plebe, admonita de periculo, quod sacris Temploque Dianæ, a verbi Divini, per Paulum factæ prædicatione, videbatur impendere, jam sacrilegii & blasphemiarum postularetur; non potuisse non videtur, si ad vulgi decretum respicias, pro obiecto ad bestias haberi. Unde, cum *Ἰερομαχείῳ*, licet *improprie*, etiam illi dicerentur, qui devorandi ad feras projiciebantur, videri possit Paulus, ob præsentissimum vitæ discrimen, in quod parum abfuit quin incidisset, dixisse se Ephesi,

phesi, κατ' ἄθροον, cum feris pugnasse. Cæterum cum hæc ad Corinthios epistola ante tumultum, apud Ephesios, per Demetrium excitatum, scripta jam sit, id quod ex discessu Pauli, qui immediate cum eadem turba in *actis* conjungitur; perspicue adparet, nihil prorsus ad stabiliendam opinionem de Pauli aliqua in theatro cum feris pugna ex illa accedere posse statuimus.

\* Cap. XIX.

§. VII.

**N**Ec firmi quidquam pro *δνεροαχια* proprie dicta ex oppressione illa adduci putamus, quam Apostolus ipse, in posteriori ad Corinthios epistola.

stola \*, sibi in Asia contigisse  
 se tam acerbam dicit, ut et-  
 iam de vita desperaverit, ita  
 affecto, quomodo ii, de qui-  
 bus sententia ad mortem pro-  
 nunciata est, ut Grotius illud  
 αὐτοὶ ἐν ἐπιτομῇ τὸ ἀπόνεμα τῆ θανάτου ἐ-  
 χήνασαν interpretatur. Quan-  
 quam enim eandem ibi rem  
 tangi, quæ in nostro hoc loco  
 tangitur, suspicari vellemus, in-  
 de tamen non concluderetur  
 cum bestius proprie ita dictus  
 Paulum decertasse; nisi  
 quis illum dicat, quia secun-  
 dam hanc epistolam post tu-  
 multum illum Ephesinum, in  
 Macedonia, scripsit, populi  
 illud de se ad teras projiciendo  
 decretum, quod superius innue-  
 ebamus, in animo habuisse, si  
 in

in ejus potestatem venisset; quia tamen non apparet, cur rem, voce *ἡμερομαχείν* nuper indicatam, iterum repetere voluerit, videtur hic potius ad afflictionem aliquam aliam, & quæ nondum iis innotuerat respexisse; præcipue cum in tantis laboribus Evangelii causa sustinendis, nunquam non potuerint suboriri pericula, quibus cum præsentissimis conflictaretur, ut qui se & in illis sæpe fuisse \*\*, & ex illis quotidie ereptum esse \*\*\* testatur.

\* Cap. I. v. 8. 9. \*\* 2. Cor. XI. v. 23. \*\*\* 2. Cor. I. v. 10.

§. VIII.

**Q**Uod si cui præterea videatur

deatur ad probandam Pauli  
 ad bestias damnationem,  
 non parum facere, quod A-  
 postoli vel fuerint *καθάρματα*  
*ἢ νόσους, καὶ πάντων περίφημα \**,  
 vel dicantur facti *θιάρων \*\** &  
*θιαρευόμενοι \*\*\**; Apostolumque  
 hinc velit dici *κάθαρμα*, ut a-  
 pud Scholiasten ad Plutum A-  
 ristophanis *καθάρματα* dicuntur,  
 qui ad lustrationem pestis  
 aut alius morbi Diis immola-  
 bantur; *θιάρων* item & *θιαρευό-  
 μενον*, quia spectatus fuerit in  
 teatro ad pugnandum cum  
 bestiis missus; eam vero sen-  
 tentiam ut magis foveat, au-  
 thoritate insuper inducatur  
 mire sibi adblandientis Nice-  
 phori Callisti, qui, ex libro  
*actorum ἑὶ προfectionum Παυ-  
 λῆ,*

h, hanc cum bestiis pugnam commemorat. Si inquam cui ita placeat contrariæ nobis opinioni ex his præsidium petere, illi id frustra fieri vicissim reponimus. Nam in locis istis nihil aliud agit Apostolus, quam ut ostendat Deum, certas ob causas, exhibuisse eos, quos ad propagandum, evangelium suum elegit, tanquã omnium hominum extremos atque vilissimos, ut ad alios collati majoris non fierent, quam rejectamenta quævis & quæ calcari pedibus solent; vel ut essent *ἡ ἀλεγο*, hoc est ii, qui spectantur, similesque *ἡ ἀλεγοῦνοίς*, qui ducuntur in triumpho aut in publicis spectaculis exhibentur. Cum er-



go inde nihil roboris accedere queat, tanto minus id ex Nicephoro expectandum erit; cum, & liber ille, ex quo narrationem hanc depromsit, pro fabuloso communiter habeatur, & ipsi Nicephoro, qui Casaubono *author vanissimus & futilissimus* audit, non credendum moneant eruditi, nisi, quæ memorant alii, eadem ipse prodat.

\* I. Cor. IV. v. 13. \*\* I. Cor. IV. v. 9. \*\*\* Heb. X. v. 33.

§. IX.

**P**Otius igitur de sæpius commemorata hac pugna statui videtur, quod *metaphorice* illa intelligenda sit, qua Apostolo propter propagationem

nem

nem veritatis Evangelicæ cum  
 ferinis hominibus depugnandum  
 Ephesi fuit. Sane, quod  
 graviter monent viri eruditis-  
 simi, ut in sanctis oraculis  
 fingere tropum non licet, ubi  
 non est, ita eum ubi est, ne-  
 gare religio erit. Monent er-  
 go nos varia, ut in hac sen-  
 tentia persistamus. *Primo, In-*  
*equivocitas proprie acceptæ incom-*  
*moditas.* Si enim in his ver-  
 bis Pauli, *εἰ ἐστὶν ἐπιμαχνοῦ, τὸ ἐπὶ*  
 retinemus, necesse erit ut ex  
 illis hic exurgat sensus: Pau-  
 lum certamine spirituali con-  
 gressum fuisse cum bestiis, &  
 sic miraculose incoiumem e-  
 vasisse. Quasi vero rem tan-  
 tam, quæ omnem intelligen-  
 tiæ

riæ excessisset mensuram, tantoque constantiorem in Corinthis gignere debuisset fidem, quanto illi a prodigio essent remotiores, unico hoc, ambiguoque præterea, verbo *ἐνεργουάχνοια* indigitare voluisset, nec quod verum fuisset miraculum, factum ad confirmandam veritatem quam propagabat, prædicandum tam discretis verbis censuisset, atque Daniel miraculum illud, quo a leonibus in spelunca servatus fuit, commemoravit.

*ὁνερομαχία* ergo propriam hic agnoscere difficile est, cujus intelligentia ex dicto Pauli loco expectari non potest, nedum aliunde demonstrari, cum de  
ca

ea ubique, & in actis Apostolorum, & in martyrologio, quod ipse Paulus sibi consignavit, altum sit silentium.

§. X.

**A**lterum, quod hinc sequitur, impropriamque significationem præferendam, svadet, est tropi in textu notatio evidens satis & sufficiens. Quoniam autem, monente Flacio \*, is qui, aut ipse vult discedere, aut alios abducere a nativo sensu verborum scripturæ, tenetur, evidentissimis demonstrationibus aliorum locorum, aut dictorum Dei, eum tropum demonstrare, nec tantum in genere utcumque demonstrare inesse aliquid figurati  
in

in sermone, sed etiam certam  
 vocem aut locutionem nomina-  
 re, quæ in eo dicto sit tropice  
 usurpata, ac denique quo tro-  
 po, Et in quem sensum signi-  
 ficationemve sit immutata; sine  
 gula horum ad probandam  
 hujus loci tropicam locutio-  
 nem indicanda nobis erunt.  
 Sicut igitur patet voce *bestia*,  
 qua grandiores & crudeliores  
 terræ appellantur, per *meta-*  
*phoram*, propter mores feri-  
 nos, significari *gentes impi-*  
*as, feras, truces*, speciali-  
 ter autem *Tyrannos* \*\*, in  
 Apocalypsi \*\*\*, ubi depingi-  
 tur gestare meretricem, ipsum  
 imperium Romanum, aut et-  
 iam una *Antichristum*, a Pau-

Io \*\*\*\* *Cretenses*; & quēadmo-  
 dum apud Pollucem *θηρίων μάλα-  
 λον ἢ ἀνθρώπων πόλις* legitur; ita  
 eodem more factum, ut *θηρι-  
 οῦσαι* dicerentur, qui in ferinam  
 naturam abirent, & hinc *θηρι-  
 ομαχεῖν* illi, quibus negotium fa-  
 cessebant ejusmodi homines in-  
 domiti. Qua observata sermo-  
 nis forma, concludimus & Pau-  
 lum hic communem loquendi  
 morem secutum, istud *θηριουμα-  
 χεῖν translate* & ἠθικῶς de adver-  
 sariis præferocis ingenii, & a  
 belluarum immanitate natura-  
 que parum remotis, potius  
 quam proprie de feris intelle-  
 xisse.

\* *Clavis script. parte post, pag.*  
 228. \*\* *Pf. 74. v. 19.* \*\*\* *Cap.*  
*17, v. 3.* \*\*\*\* *lit. I. v. 12.*

## §. XI.

**E**T hanc τῆς θηριομαχείῃς acceptionem ut teneamus confirmat tertio, ipse contextus. Translata enim docet Fabius probari nisi in contextu orationis non posse. Quemadmodum itaque in hoc Ignatii, Ἀπὸ Συρίας, μέχρι Ῥώμης θηριομαχίῃ δια γῆς καὶ θαλάσσης κυκλῶς καὶ ἡμέρας ἐκδεδομέντος δέκα λευπάρτοις, ὃ ἐστὶ στρατιωτικὸν ταῖγμα; τὸ θηριομαχεῖν metaphoricè accipi verba ἐξηγήσεως ergo addita demonstrant; nec minus in his Pauli verbis \*\*, ἐρρύσθην ἐκ σώματος λέοντος, sensum metaphoricum junctura vocum loci istius indicat; ita in his, ἐκ κατὰ ἀνθρώπων ἐθηριομάχησα, non est ut quis putet deficere, quod

C

tro:

tropum ulterius declaret. Quid enim aliud adjectis vocibus *κατα* *ἀνθρώπων* voluit Apostolus, quam ut illis ad similitudinem alluderet, qua homines moribus ferinis cum bestiis contenduntur? ut intelligi velit se cum bestiis non *simpliciter* sed *comparate* talibus depugnasse. Quod si, ut præsumitur, vere ei cum feris congregari contigisset, nihil fuisset causæ cur ad avertendam invidiam, quod videretur de rebus suis gestis dicere, voluisset præfari veniam in re, ubi nihil hujusmodi timendum fuit, miseranda scilicet, & cujus indignitate non poterant non commoveri omnes. Equidem non  
 nego



nego hac formula κατ' ἀνθρώπων  
 præveniri solere reprehensionem  
 alterius ; hoc tamen in  
 loco si ita exponatur, quod  
 hujus certaminis mentionem  
 non faciat hominum more,  
 qui suas pugnas, e quibus glo-  
 riose evaserunt, libenter com-  
 memorare solent, contorti ne-  
 scio quid & perplexi habere vi-  
 detur ; cum Apostoli scopus  
 sit, non pugnae mentionem,  
 sed loquendi formulam, qua  
 genus pugnae exprimit, ex-  
 culare. Nimirum voces illæ  
 κατ' ἀνθρώπων phrasin Hebraicam  
 redolent ; quis enim nescit  
 Novi Testamenti scriptores  
 Judæos fuisse, eosque propri-  
 is loquendi formulis usos? Ap-  
 paret,

paret, de qua nobis sermo est,  
 formulæ vestigium in illo a-  
 quod Ecclesiasten\*\*\* אל דברת  
 בני אדם, sed imprimis idem e-  
 videns est in locutione illa  
 Talmudica, כדאמרי אינשי,  
*sicut dicunt homines*, qua u-  
 tuntur, quotiescunque simile  
 aut proverbium aliquod alle-  
 gant\*\*\*\*; ut adeo, cum  
 parenthesi incluseris duo illa  
 verba κατὰ ἀνθρώπων, subaudito  
 verbo λέγω, sensus loci hujus  
 hic exurgat: *Si Ephesi cum  
 bestiis, ut ita loquar, pugnavi,  
 que mihi inde utilitas, si mor-  
 tui non resurgant*; scilicet, ut  
 mihi aduentum inducam  
 Glassium\*\*\*\*\* *frustranea n-  
 alioquin iudicavit esse omnem*  
cum

*cum adversariis veritatis (tanquam bestiis) de veritate Religionis Christianæ concertationem.*

His, in quantum, per obtusi ingenii nebulas, in abstrusum *μηνομαχίας* Paulinæ sensum intueri licuit, nostro instituto fecisse satis putamus, quamvis ad probandam, quam fovemus, sententiam minus forte suffecerimus. Qui pro ea non sentiunt, iis nihil derogavimus.

\* *Euseb. Histor. Eccles. Lib. 3. C. 33.*

\*\* *2. Tim. 4. v. 17.* \*\*\* *Cap. 3. v. 18.*

\*\*\*\* *vid. Schoetg. Hor. Hebr. & Talm.*

*ad v. 19. C. 6. Epist. ad Roman. \*\*\*\*\**

*Rhet. Sacr. pag. 318.*

**SOLI DEO GLORIA.**

Musain ilo = leicki ja laulu  
edes pandu

Howin Oppenen Herran  
Herr ANDREAS LILIUXEN  
Disputerates.

☞ Ose tein wircani työt, li' yöt' ja lausia  
neuvoin;

Wäsyt nijn täg työs, mä myös, ett' sammus  
si silmän;

Unea oikein tiell' en wiel', cuin corwisa cut:  
cutt'

Nurmess Musain suur ilo juur, joca liemeni:  
likutt',

Lotcu ja notc' mander tander cans tutisi tui:  
mast;

Ylon cans cose' tang coconans oli nurmesa:  
Reikeill;

☞ Elew' Musain jouck' siell pauck' cose' laulo  
ja leikit,

Wieckast jong mua wiett yli yöt', se leicki ja:  
lennätt'.

Tu'dua tuulesa tänn mä nään euf Latina Pa:  
ma,

Corwesa caunisa siell ilo tiell cuin cuuldeli:  
weisu.

Jouten jouckoon tijn mä sijn, cans cumpari:  
curjain;

Euulin helus heist ett' meist' ne weisuja wei:  
sais;

Lähdem' nähdem' sijn ett' nijn he kessu ja  
lessu;

Wht.

Wittoin wiettelä näin kaännödin juor June-  
fari joukon;

Hynä hytyr'tää on pään, rans ransi ta ransi;  
Jong' sijs wuor meit suor sä juor älä widaja  
wihy.

Ehti? **ESJUS** sanovist jalovist noist, raukesi  
rakkaar;

Likemb' sitti joca cull', juur' julk, noit tui-  
mia Lyttöi.

Pilti se kiltt sano näin, mä päin nyt Windia  
pyhdän;

Mutt en tiell', ett tiell', mull wiel, mond  
cuoppa ja combett;

Tihku silt se tie, kyll' lie, joca talaja teillen;  
Panna sihiä tijn saa sijn, tie tatteia täynnä;

Oryn mond joca meen on sijn, al waiwoja  
waiyun.

Emb oll nähin ett tiel'd' te wiel pois lengoja  
leicann.

Wastasi Pilti' Nui, Welii woi älä nuorena  
närkästi;

Capia ratu ja tie waike lie joca juorepi meil-  
len;

Mutt eusa cumbana sääll kån pääll tott osa-  
jay wikein.

Wipy' widas' eip aie', wan ale' Ant' riennos-  
sa rannään;

Käwi cuckula rohd' hän roht, euf riem' oli  
runfas

Pucamall opin siell; jong pääll Ant' lennosa  
liti.

Pydräbt sitti he päin ett näin tät' Wiltiä  
Windin.

Whtell

(Uhteell' asua taan ensaan eng' eokenu' eontaf,  
Eose eip' locky' muull' cuin' muull' saad' siipiä  
sei ix:

Cumof' euckaro' fell' tott' fill' eoh't' onduw' on  
onni;

Madell' täydyx' maas' ja suos' eose' sorkkani' sou-  
cat)

Tiekän' äkild' taas', cuing' saas' tääld' sanowat;  
Huomill'

Helicon' annoit' wett' cuin' mett'; jot' sieppa-  
si' säärins;

Dypnen' olt' oli' se' jota' tää' eli' toittunu' tem-  
ban;

Wijain' winan' lai' oli' tai' jost' juopupi' jou-  
ten;

Miwun' astuup' opp' joca' juop' sijt' siemeni' suu-  
ri;

Sen' mä' täänpän' nyt' nään'; fill' oppin' on' Anti-  
Kirjan' tek' fill' tain', cuing' pain' ans' Pawall'

Ephesos'; jos' julmi' juhti' niht' ihmist' ilkeit'  
Pawwa' ja' calwa' ne' pnyht' pais' syht' jote' sar-  
nafi' sana.

Maakep' caieki' sen' ett' tää' työn' taitawa' teh-  
nyt;

Rynda' käynyt' kyll' on' fill' eik' courasa' kyottyn';  
Wahwast' wastasi' työn' eik' syön' se' sanoja' suu-  
huns;

Kielen' cand' eip' kijn' oll' sijn' sana' sodasa'  
seiswis.

Mies' ett' muhkia' on' joca' muonn' häst' cunnia'  
cuu'u.

On siis oikia shy must uy häll' toiwoni tehdä  
Ett osan oppins sais' joca lais hywä Herra  
ja heimon'.

Wirkain wuorillast, Beli wast, nous taita  
wa töyräll,

Toiwon, caikisa, nijs ett siis sull onn' olis  
ohjil.

Suomen syndyn sois' näis ois' Satacunnasa  
Sanco.

Wiljald sen sul suo, joca jo nyt lackaja lau  
lust.

**ABRAM UTTER.**

Herrn H. Lillies.

Frater Amanuensis.

Mich. Lillies.

Eidem.

**I**ngenium felix quam sit Tibi, Frater a-  
mande,  
Latus ego novi dudum; sed pagina præ-  
sens  
Quod Tua prodat idem, nova gaudia con-  
cipit inde  
Jam mea mens: laudum tamen hic dare  
munera nolo.  
Ex animo tantum voveo, Tibi fata beni-  
gna  
Det Deus, aternæ post hæc & præmia  
vite!

gratulatur

Henr. H. Lilius.

Frater Amantissime.

**D**'lm pugnam Pauli describis Marte per-  
actam  
Divino, pandis codicis acta sacri.  
Gratulor hæc auso: conatibus apprecor  
auram  
E cælis mitem: perbene semper agas!  
Mich. Lilius.